

est animæ perfectio uniri cum corpore, potest ergò illam ut bonum quid appetere, qui appetitus est elicitus, cum eum præcedat cognitio. Quod argumentum attinet, negatur in eò consequentia, omninò id, quod supernaturale est, appeti potest appetitu naturali. Quod ut eò meliùs intelligatur, notandum, supernaturale esse duplex (1.) quoad substantiam, (2.) quoad modum productionis: *quoad substantiam* supernaturale illud dicitur, quod talem entitatem habet, quæ excedit vires rei naturales; *quoad modum productionis* illud vocatur supernaturale, quod in suâ naturâ spectatum naturales rei vires non excedit, aliquando tamen naturali modò produci non potest, h. m. supernaturalis erat visus in cæcis, qui à Christo ipsis restituebatur; jam reunio animæ cum corpore dicitur supernaturalis posteriori modò: Unio enim animæ cum corpore naturales ejus vires non excedit, postquam tamen anima à corpore separata est, unio illa naturali modò fieri non potest, est E. supernaturalis quoad productionis modum: respectu autem ejus, quod hoc posteriori modo supernaturale dicitur, dari potest desiderium naturale, & appetitus elicitus ex viribus naturæ, quod ostendi potest exemplò cæci illius Joh. 9. qui visum tanquam supernaturale quid quoad modum producendi appetebat ex viribus naturæ seu naturaliter, quod enim visum supernaturali modò & per specialem DEI concursum desideraverit, ostendi non potest. Alia argumenta à *Suarezio* adducta fuere à *Da. Conimbr. disput. 2. art. 3. l. c.* soluta, ad quos remittimus candidum Lectorem acturi jam de comparatione animarum separatarum cum Angelis.

§. 30. Ex iis, quæ hæctenus fuere dicta, facile decidi possunt illæ controversiæ, quibus primò disceptatur: *an Angeli & anime separata sint ejusdem speciei?* deinde, *an anima separata sit dignior & nobilior Angelo?* Prius *ἑτερόμυλον* quod attinet, dicimus, Angelos & animas separatas specie differre, quod cernere licet ex eò, quia anima est essentialiter substantia incompleta & naturaliter ad corpus informandum propendet, cum quò debet constituere ens per se: at verò tale quippiam Angelis non competit, quippe qui sunt substantiæ completæ atque hinc ipsis repugnat